

**P**arentes liberis, cum extraneis, tum suis, actionem, non directam, §. *si quis alij.* 4. *Inst. de inutil. stipul.* sed utilem, *l. Publica.* 29. ff. *depos.* & *l. Cajus.* 45. ff. *sol. matr.* liberi vero parentibus, in quorum potestate sunt, directam. *pr. Inst. per quas pers. nob. obl.* aliis, nec utilem, *d. §. 4. Inst. de inutil. stipul. l. inter socerum.* 26. §. *filia.* 4. ff. *de pact. dot all. debitor.* § 9. §. *ult. ad SC. Trebell.* acquirunt. Ratione pene naturali; cui conveniens est, ut parentes thesaurizent liberis; nec contra, *2. Cor. 12. v. 14.*

## CCXCVII.

*An & quatenus valeat stipulatio, si quis decem stipuletur, alter quinque promittat: vel contra?*

**Q**uoad summam excedentem, stipulatio non valet, nec obligatio contrahitur: cum neque is, qui minorem stipulatus est, neque is, qui minorem promisit, in majorem consenserit. §. *preterea.* 5. *Inst. de inutil. stip.* valet autem quoad summam minorem, sive stipulatio promissionem, sive promissio stipulationem excesserit: *l. inter stipulantem.* 83. §. *diversa.* 3. ff. *de V. O.* cum minor summa in majore contineatur. *l. 1. §. si stipulanti.* 4. *d. t.* atque sic uterque contrahentium in eam consenserit, *l. diem proferre.* 27. §. *si plures.* 3. ff. *de recept. qui arb.* Constabitque stipulationi sua certitudo, etsi alternativè decem aut quinque dicta fuerint: propterea quod & in uno majori summae membro, alterum summae minoris comprehendatur. *l. si ita stipulatus fuero.* 12. ff. *de*

V. O.